

Handwritten text on the top cover, possibly a title or library mark, including the word "Evangelium".



918.

V. 10. 4.



Freiherr v. Ende-Mittjesnitz.



EXERCITATIO MORALIS

AD HUG. GROTII LIB. II. DE JURE BEL.

AC PAC. CAP. XX. §. 3. & sqq.

DE

VINDICTÆ

PRIVATÆ LICENTIA.

Quam

DEO FORTUNANTE,

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ consensu

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

PRÆSIDE

VIRO

ADMODUM REVERENDO atq; AMPLISSIMO

DN. OTTONE MENCKENIO,

SS. Theol. Licentiato, Moralium Prof. P.

& Collegii Ducalis Collegiatio,

DN. PATRONO & PRÆCEPTORE

omni bonoris & observantiæ cultu æ viternum

prosequendo,

Publicè ventilandam proponit

ANTON GÜNTHER FASELIUS,

Jeverâ Frisius Oriental.

Magisterii Candidat. ac S.S. Theol. Studios.

AUTOR ET RESPONDENS.

AD DIEM XXIV. JANUARIJ, ANNO M DC LXXVII.

L I P S I Æ, Typis KÖLERIANIS.

16.

19.

V I R O
ADMODUM REVERENDO AMPLISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DN. CONRADO von der LAGE,
S.S. THEOL. LICENTIATO CELEBERRIMO,
ILLUSTRISSIMI, PRINCIPIS SAXONIÆ VINARIENSIS
CONCIONATORI AULICO LONGE MERITISSIMO, DIOECE-
SIS VINARIENS. SUPERINTENDENTI DIGNISSIMO, AD
D. PETRI ET PAULI PASTORI PRIMARIO, PROTO-
SYNEDRII ASSESSORI SPECTATISSIMO,
DOMINO SOBRINO ATQVE PATONO SUO
DEVENERANDO,

UT ET
V I R O
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQVE
CONSULTISSIMO
DN. ANTONIO GUNTHERO
von der LAGE,
JCTO ET PRACTICO CELEBRATISSIMO,
NEC NON SCABINATUS AC PRÆTURÆ
LIPSIENSIS ACTUARIO PRIMICERIO,
DOMINO ITIDEM SOBRINO SUO,
PROMOTORI AC HOSPITI COLENDO, PRO
INNUMERABILIBUS AB UTROQUE COLLATIS HACTENUS
BENEFICIIS HOCCE SPECIMEN QVAECUNQVE
GRATITUDINIS SUÆ SIGNUM,
OFFERT
A U T O R.

16



D. T. A.

Homini hominem punire, ac vindicare injurias, quatenus concessum fit à naturâ, quæstio gravissima est, & à paucis curatè satis ac distinctè explicata. Pleriqve satis habent, si vindictam omnem in publicam privatamqve dividant, & publicam quidem generatim probent, privatam omnino damnent ac vituperent. At hi non meminerunt, & vindictam quandam publicam injustam esse, siquidem vel idonea justaque causa deficiat, vel in ipso vindicandi modo peccetur: & privatam nonnullam, quali paterfamilias in personas societate domesticâ sibi junctas pro imperio utitur, siquidem intra definitos à naturâ legibusque terminos se contineat, licitam esse ac honestam. Præ aliis HUGO GROTIUS in præclaro de Jure Belli ac Pacis opere, universum de vindictâ argumentum summo ingenio atqve studio persecutus est; nec cavere tamen satis vir multò doctissimus potuit, quin in reprehensionem aliorum censuramq; incurreret. Non de eo jam dicam, quòd in distingvendis belli publici, & externi quidem, generibus, præter defensivum ac reparativum, tertium quoddam genus quod vindicativum seu punitivum vocat, commentus est; quasi ut Magistratus subditos, ita Princeps Principem aut civitatem sibi non subjectam punire propriè loquendo valeat. Quæ sententia dudum ab aliis explosa est, gnaris pœnam propriè dictam non nisi à superiori in.

inferiorem proficisci. De vindictâ verò privatâ *lib. 2. c. 20.* ita differit, ut non solum patrifamilias eam in uxorem, liberos, atque servos vindicet, sed cuique paribus non laboranti vitis, in quemcunque maleficum, si jus nudum naturæ i. e. abductum à divinis humanisque legibus spectetur, concedat. Unde nata eruditio occasio fuit, in privatæ vindictæ moralitatem studiosius inquirendi: interpretibus plerisque, FELDENO, BOECLERO, ZIEGLERO, OSIANDRO, SIMONE, sententiam GROTTII repudiantibus; uno HENRICO HENNIGES operosè à p. 827. ad 870. propugnante. Mihi, cum supremos in Philosophiâ honores propediem prensaturo quodcunque industriæ specimen exhibendum in hac Academiâ luce videretur, placuit GROTTII illam de vindictæ privatæ licentiâ sententiam pro virili expendere, publicoqve subicere examini. Quod dum facere aggredior, Divino Numine ut vires ac successum largiatur implorato, Lectorem Benevolum, sicubi in explicandâ & refellendâ gravissimi Scriptoris doctrinâ hallucinatus fuero, veniam, ut par est, posco.

§. I.

Vindicta *Hugoni Grotio*, loco qui sub manu est, nihil aliud quam pœnam significat, & definitur *malum passionis, quod infligitur ob malum actionis.* II. 20. 1. Finem adde, ut natura vindictæ rectius intelligatur, qui in correctione, seu ejus qui peccavit, seu aliorum qui peccaturi alioquin erant, consistit. Is enim propriè injuriam aut peccatum vindicare dicitur, qui alteri ob malum perpetratum dolorem reponit, ut vel eum malè agere dedoceat, vel certè statuto in unum exemplo à simili peccandi libidine alios absterreat. *Puffendorfius l. 8. de J. N. & G. c. 3. §. 4.* Grotii definitionem sic explicat: *Pœna est malum aliquod molestum, quod per modum coactionis & pro imperio alicui intuitu antegressi delicti imponitur.* Nobis verba illa pro imperio omisisse liceat, cum præcipua nobis de eo disceptatio futura sit, num superior tantum & qui cum imperio est inferiorem, an verò & par parem possit plectere,

§. II. Dif-

§. II.

Differt verò vindicta à defensione simplici, utut cum eâ & à Grotio ipso, & ab advocato ejus Hennigio non semel in hac quæstione confundatur. Defensione enim malum imminens propulsamus: Vindictâ malum acceptum ulciscimur. Defensione salutis nostræ in præsens consulimus: Vindictâ vel ejus qui peccavit, vel aliorum certè emendationem intendimus. Defensio fit ex contingenti: ultio ut plurimum ex intervallo. Unde status controversæ in præsentia materiâ non est, num privato potestas competat, adversus aggressorem, ubi judicem adeundi spatium non conceditur, vitam fortunasque defendendi: sed num privato liceat injuriam acceptam proprio arbitrato vindicare. Quare supervacanea videri queat Hennigii opera, quando p. 856. seqq. tanto apparatu comprobatur, licere privato vitam, atque bona sua tueri.

§. III.

Probè porrò distingvenda est pœna seu vindicta ab actu illo, quo per injuriam læsus damnum acceptum reparari, ac in futurum sibi caveri curat. Sicut enim nemo negat, licere Principi aut Civitati, damni accepti reparationem, cautionemque de non offendendo, per vindictam publicam, etiam vi armatâ exigere: ita quin privato extra societatem civilem constituto, aut in loco ubi judicia nulla sunt degenti, liceat propriis eum viribus à quo injustè læsus est, ad faciendum damnum, præstandamque cautionem adigere, vix est ut dubitemus. Verùm sicut non absurdè quæritur, num Principi aut civitati, Principem aut civitatem aliam punire insuper liceat, sic ut & is qui injuriam intulit, emendetur, & alii exemplo moniti à similiibus se delictis abstineant; quod negatur ab iis, qui bellum vindicativum seu punitivum in extraneos nullum admittunt: ita quæstio hoc loco est, num privato extra societatem civilem constituto fas sit, alium sibi non subjectum, à quo vel ipse vel alii læsi fuerunt, aut jus naturæ immaniter violatum, postquam damnum jam compensatum est, cautioque de non offendendo præstita, punire ac ulcisci? Prævit nobis Grotius ipse, quando II. 2. tres bellorum fontes, defensionem, recuperationem rerum persecutionemque ejus quod nobis debetur, & punitionem seu vindictam distingvit.

§. IV.

Quæres, vindictæ cum bello quatenus conveniat? Ea quidem synonyma videri queant, sed non sunt; cum & bellum quoddam sine vindictâ, & vindicta sine bello esse possit. Defensivum enim reparativumque bellum, quatenus talia sunt, vindictam non nisi per accidens continent. Vicissim quando Magistratus in facinorosos ex præscripto legum animadvertit, vindictamque adeo exercet, non semper bello opus est, videmusque in ordinatis Rebus publicis etiam gravissima supplicia sine tumultu ullo turbisque sumi. Unde nec id generatim admitti potest, quod Hennigius p. 831. asserit, vindictam omnem per bellum expediri.

§. V.

Dividitur verò vindicta in publicam & privatam. De cujus distinctionis sensu non est ut anxie laboremus. Haud dubiè enim, ut bellum Grotio vel publicum est vel privatum, eodem modo & vindicta. Publica ergo vindicta est, quæ exercetur autore eo qui jurisdictionem habet: privata quæ aliter. Accuratissimè sibi divisionem Hennigius p. 832. visus est explicuisse; nec acutamen rem tetigit. Primùm enim distinctionem belli in publicum & privatum planè contra Grotii mentem interpretatur. Grotius, inquit, bellum publicum dixit, quod autore eo geritur, qui jurisdictionem (id est imperium & majestatem, hæc enim intelligitur per vocabulum jurisdictionis) habet. Privatum quod aliter. Hoc est, quod gerit is, qui Majestate inferior, independens tamen imperium possidet, aut imperio quidem destituitur, nemini tamen alii subest. Velut Paterfamilias seorsim habitans, nemini subiectus. At primùm, quòd per jurisdictionem Grotius non majestatem seu potestatem summam, sed & eam, quæ Magistratui inferiori competit, intellectam voluerit, ex eo manifestum est, quòd belli publici duo postea genera facit, l. 3. 4. solenne, quod autore eo qui summam in civitate potestatem habet geritur, & minus solenne, quod autorem habet Magistratum quemvis. Deinde privatum bellum ex Grotii sententiâ nõ ab illis tantùm geritur, qui seorsim habitant, nemini subiecti, sed & ab iis, qui superiori subsunt. Docet enim, etiam post judicia constituta, naturali juri non repugnare omnne bellum privatum. Sed hæc forsitan aliena sunt. Ipse dein publicam vindictam definit illationem mali passionis ob malum actionis, factam ab eo
qui

qui Majestatem habet, contra eum qui itidem civili Imperio gaudet: privatam, quae patresfamilias (intelligit eos qui seorsim habitant, nemini subiecti) aut ii qui sub nullius imperio sunt, inter se invicem utuntur. At vindicta quae Princeps delicta subditorum punit, publica profecto est, nec tamen, quod in definitione Hennigius requirit, contra eos exercetur, qui itidem civili imperio gaudent. Vicissim cum in civitate paterfamilias liberos suos servosque castigat, aut neglecta Magistratus autoritate suo arbitratu injuriam ulciscitur, privata illa vindicta est, nec ab eo tamen exercetur, qui seorsim habitat nullius imperio obnoxius. Denique nec admitti illud potest, quod p. 831. Hennigius asserit, vindicationes quae civibus inter se sunt, etiam si in judicio fiant, non publicas sed privatas esse. Cum enim in foro actor vindictam omnem iudicis arbitrio committat, ejusque autoritate poena reo infligatur, non potest non vindicta talis publica censeri.

§. VI.

Sed missis his, varia vindictae publicae privataeque genera videamus. Publica enim vel in subditos, vel in extraneos exercetur. In subditos, siquidem qui in leges civitatis peccarunt, poenam coercerantur. In extraneos, si civitas injuriam a civitate alia acceptam malo reddito ulciscatur. Privata etiam vindicta varia est. Privatus enim aut Republicae cujusdam membrum est, aut extra societatem civilem solitariam vitam agit. Si membrum Republicae cujusdam est, sicut paterfamilias omnis comparari tum cum iis potest, quibus paret, tum cum civibus aliis, quibus par est, tum cum uxore, liberis, servis, quibus in societate domesticam imperat: ita & triplex privati vindicta cogitari potest, quam in superiores, quam in pares, quam in inferiores exercet. Quod si privatus extra omnem societatem civilem constitutus sit, disquiri tamen potest, quatenus eo etiam in statu injuriam illi ulcisci aliorumque peccata punire liceat.

§. VII.

His de naturâ vindictae, ejusque variis generibus praemissis, declarandum nunc, quid in doctrinâ Grotii probandum, quid improbandum censeamus. Acturi verò ex professo de privata vindicta sumus: de publicâ non nisi incidenter, & sicubi argumenti illustrandi causâ mentio ejus facienda fuerit. Et primum quid bene habet, quod Grotius II. 20.

4. & 5. docet, vindictam omnem illicitam esse, si ulciscendi tantum animo suscipiatur, nec bonum aliquod habeat propositum. Homo enim ita homini alteri consanguinitate alligatur, ut nocere ei non debeat, nisi boni alicujus consequendi causâ, pugnetque adeo cum naturâ hominis in hominem agentis alieno dolore quia dolor est, fatiari. Unde qui sic injuriam acceptam vindicat, ut animum tantum ultione satiât, nec alio fine, quam ut dolorem inimico reponat, in naturæ legem procul dubio delinquit.

§. IIX.

Si jam privatos ut in societate quadam civili constitutos, triplicique ordine ad superiores, pares, atque inferiores, relatos consideremus, consentientem primum habemus *Grotium*, non licere privatis injuriam à superioribus acceptam ulcisci, aut imperantium delicta punire. Tantum enim abest, ut eam privatis potestatem *Grotius* indulgeat, ut ne resistere eos superioribus etsi vim iniquam inferentibus velit. Videatur l. c. 4. Quin & à populo universo facultatem vindicandi imperantium peccata l. 3. 8. abjudicat, refutatâ Monarchomachorum sententiâ, qui ubique & sine exceptione summam potestatem volunt esse populi, ita ut ei Reges quoties imperio suo malè utuntur & coercere & punire liceat. De cautionibus subjunctis, universoque argumento, cum immorari nobis his non liceat, *Bæclerus* præcipue in pulcherrima ad *Grotium* commentatione consulatur.

§. IX.

Vicissim assentimur *Grotio*, patrifamilias potestatem competere modicè castigandi personas in societate domesticâ sibi subiectas. Cum enim regere domum paterfamilias nequeat, ad quam regendam tamen ipso naturali jure obligatur, nisi imperio quodam munitus; imperium verò, sine vi quadam coercendi ac puniendi nullum sit: non est cur patremfamilias eâ potestate, etiam ubi constituta sunt judicia, exuamus. Quis verò puniendi modus in maritali, paterno, herilique imperio servari debeat, constitutis judiciis, ex cujusque Reipublicæ legibus definiendum est: ubi judicia nulla sunt, ex imperii domestici sine mensurandum. Habet enim hic locum regula à *Grotio* II. 5. 5. & alibi tradita: *consuetur ipsa natura jus dare ad id omne, sine quo obtineri non potest quod ipsa imperat.*

§. X. Por-

§. X.

Porro quod in Republicâ de puniendis fontibus vindicandisque injuriis, non ex cujusque qui læsus est arbitrio, sed auctoritate publicâ statuendum sit, quodque adeo privato vindictâ in concivem sit interdictum, Grotius haud agrè largitur. Suspecta tamen verba sunt, quibus id II. 20. 8. eloquitur: *sed quia in rebus nostris & nostrorum affectu corrumpimur, ideo simul multæ familie in unum locum convenerunt, et hiis solis data potestas vindicandi læsos, ademptâ ceteris quam natura indulserat libertate.* Supponit nempe Grotius, antequam in societatem civilem homines coaluerunt, publica que fuerunt constituta judicia, aut ubi judicia cessant, ut in mari aut locis desertis, integrum cuique naturali jure fuisse, suo arbitratu injurias ulcisci. Sed de eo quidem suo loco videbimus. Hic illud amplectimur, quod diffiteri Grotius non potuit, in Republicâ nemini privato concessum esse, ut propriâ auctoritate injurias vindicaret. Respublica sine ordine parendi atque imperandi ne cogitari quidem potest. Ordo verò parendi atque imperandi non potest non everti, ac pessum ire, si privatis liceat conculcatâ judiciorum auctoritate, vindictæ modum & rationem suâ ex sententiâ statuere. Præterea sicut vis inferri homini ab homine non debet, nisi utilitatis gratiâ, ceu §. 7. cum Grotio professi sumus: ita nec per vim utilitas quærenda est, quando bonum quod intendimus per mitiora remedia obtineri potest. Proinde sicut bellum, nisi ex necessitate suscipiatur, etsi ex causis justis susceptum sit, injustum censetur: ita vindicta privati in privatum vel eo nomine inhonesta in Republicâ est, quia necessaria non est, constitutis eum in finem judiciis publicis, ut sua cuique securitas ac tranquillitas constaret.

§. XI.

Idem & Hennigius non vice simplici fatetur, privatæ vindictæ inter cives locum in Republicâ non dari. Censuram tamen merentur, quæ idem auctor p. 837. tradit: *Adbuc, inqviens, admodum addubito, an vindicta privata, ut Struvius definit, i. e. quam in Republicâ civis in civem contemptâ publicorum judiciorum auctoritate exercet, contra jus naturæ sit. Facile largior, contra ordinem civilem, utilitatem publicam, & intentionem societatis esse, contra jus naturæ nequa-*

B

quam.



quam. Nullam hinc deprehendo intrinsecam malitiam & moralem pra-
vitatem, si quis privatus id sibi tribuit, quod apud judicem consequi po-
test. Non jam opponam, quod ab aliis eruditè comprobatum est,
imperium etiam ipsum, ordinemque adeo civilem ex ipsius naturæ
instituto esse. Certè argumentum quo Hennigius subinde utitur: Im-
perium à DEO est, ergo non à naturâ, vacillat. Ejus verò immemor
esse vir doctus non debuerat, quod Grotius l. 1. 10. monet, jus na-
turale non de iis tantum agere, quæ citra voluntatem humanam existunt,
sed de multis etiam, quæ voluntatis humana actum consequuntur. Unde
quemadmodum dominium, quod exemplum Grotius hypothesein
suam de primavâ bonorum communione secutus subjicit, quale
nunc in usu est, voluntas humana introduxit; at eo introducto nefas mihi
esse id arripere te invito quod tui est dominii, ipsum indicat jus naturale.
ita si ponamus, ordinem Reipublicæ judiciorumque publicorum
auctoritatem à voluntate humanâ introductam esse, eâ tamen in-
troductâ nefas esse privato, vindictam in civem suo exercere arbi-
trio, ipsum jus naturale indicare intelligitur. Rectæ rationis di-
ctamen est, introducto civili ordine nihil esse suscipiendum, quod
illi repugnet: Ergo nec vindicta privata in Republicâ usurpanda,
quæ fatente Hennigio, ordini civili repugnat. Et docet recta ra-
tio, vim inferendam nemini esse, si aliâ viâ jus consequi possis:
Ergo privatâ vindictâ rapiendum non est, quod per judiciorum pu-
blicorum auctoritatem potest obtineri. In quo verò jus naturæ,
nisi in rectæ rationis dictamine, positum sit, non video.

§. XII.

Sicut verò privato non licet civem punire, ita nec extraneum,
aut quivivum membrum est alienæ civitatis, etsi fortè læsus ab eo per in-
juriam fuerit. Habet enim & hinc locum, quod §. 10. monuimus,
vim adhibendam non esse ad consequenda ea, quæ per mitiora re-
media possunt obtineri. Quod si injuriâ quis affectus est ab extra-
neo, ad Magistratum cui subjectus ille est, rem deferre, acceptiq;
damni reparationem legitimè debet petere. Sin hac viâ consequi
jus suum non possit, implorandus Princeps est aut qui Majesta-
tem in civitate suâ obtinent, ut vindicandæ injuriæ auctoritatē com-
modet publicâ. Quod eo ipso Grotius fatetur dum jus belli & armorū
summæ in Republicâ potestati, velut partem Majestatis eximiam
l. 3.

13.4. *seqq.* vindicat. Cùm enim vis omnis externo illata, bello involvere Rempublicam possit, quod nunquam non gravissimis calamitatibus est obnoxium, tranquillitatis omnino ac quietis publicæ interest, ut injuria civium uni alterive ab extraneo illata, non privato læsi arbitrio, sed auctoritate publicâ vindicetur.

§. XIII.

Haectenus amicè cum *Grotio* conspiravimus. Nunc quid in doctrinâ ejus damnemus, venit explicandum. Quod si enim homines considerentur, quatenus in societatem civilem nondum coaluerunt, aut in mari, insulâ desertâ, locisque aliis ubi judicia cessant, commorantur, quæstio nascitur, quatenus homini hominem punire liceat? Ut ut enim gens ferè nulla sit, quæ non aliquam Rempublicæ formam colat, regendi quæ & parendi ordine contineatur; nihilominus & concipi animo status hominum potest civili societate non nexorum, & contingere potest, ut seu naufragio, seu casu alio, aut consultò etiam, pauci in vacuum insulam deferantur, eamque divisis agris sic inhabitent, ut suo quisque jure vivat, ac nemo alteri sit obnoxius. Hoc verò casu ex *Grotii* sententiâ fas unicuique est, aliorum delicta ac injurias ulcisci.

§. XIV.

Delicta, inquam, & injurias. Sic enim II. 10. procedit *Grotius*. Cùm §. 1. declarasset, non iniquum esse, ut qui malè fecit, malum ferat, monuissetque, §. 4, & 5. hominem ab homine non rectè puniri tantùm puniendi causâ, triplicem postea §. 6. *seqq.* pœnæ finem distingvit & explicat. *Respici enim in pœnis dicit, aut utilitatem ejus qui peccavit, aut ejus cujus intererat non peccatum esse, aut indistinctè quorumlibet.* Primum ergo pœnâ seu vindictâ id agitur, ut qui peccavit, reddatur melior, restinctâ per contrarium dolorem peccandi libidine. Eam verò quæ huic fini inservit, punitionem naturâ cuiusvis esse licitam, qui judicio valet, & ejusdem generis aut paribus vitiis non tenetur, disertè §. 7. docet. Alter pœnæ finis est, ut is cujus intererat non peccatû esse, posthac tale quid nec ab eodè, nec ab alio patiat; quorû illud curatur, si tollatur qui deliquit, si vires nocèdi ei adimantur, si malo suo dedoceatur delinquere: hoc non nisi apertâ punitione & conspicuâ quæ ad exemplum pertinet, obtinetur. *Ad hos ergo fines, & intra æqui termini-*

nos si dirigatur vindicatio, etiam privatam, si jus nudum naturæ, i. e. abductum à legibus divinis humanisque, & ab his quæ non necessario rei accidunt respiciamus, non esse illicitam §. 8. profitetur, siue fiat ab ipso qui læsus siue ab alio. Denique, qui pœnæ finis erat tertius, aut hoc quaritur, ne qui uni nocuit aliis noceat, quod fit eum tollendo aut debilitando, siue constringendo ita ut nocere nequeat, aut emendando: aut ne alii impunitate illecti aliis quibusvis molesti sint, quod per supplicia conspicua obtinetur. Et hujus quoque juris potestatem naturaliter penes quemque esse, §. 9. tradit. Vides ergo, in eo quem §. 15. expressimus statu, cuius qui quidem paribus non sit vitiis deditus, juxta Grotium licere, & pœnam exigere à maleficis ut emendantur, & injurias sibi aliisve illatas propriis viribus vindicare; adeoque cuius in quemvis, etiam à quo ipse non est læsus, pœnæ jus esse. Perinde ut Reges, & qui par Regibus jus obtinent, potestatem Grotio §. 40. habere dicuntur, pœnas poscendi non tantum ob injurias in se aut subditos suos commissas, sed & ob eas quæ ipsos peculiariter non tangunt.

§. XV.

Hic verò dissentientes Grotius habet, non è Scholasticis tantum illos qui puniendi potestatem effectum esse proprium jurisdictionis contendunt, ut *Victoria, Vasquius, Azorius, Molina*, aliique; sed & è recentioribus, quibus naturalis juris disciplina elegantius haud paulò & accuratius exculta est, plerosque. Quæ *Bæcleri* futura fuisset in hunc Grotii locum animadversio, siquidem commendo illum attigisset, vel ex iis intelligitur, quæ ad II. 1. 2. ubi bellum defensivum, reparativum, & punitivum Grotio distinguit, notat: *de bello pœnæ gravior ratio moneri jubet, non esse bellum pœnarium accuratè loquendo inter eos qui summâ utrinque potestate præditi sunt, sed aliquid pœnæ comparabile.* Vidit nempe vir doctus, jus puniendi nullum esse sine superioritate. *Ziglerus* verò atque *Osiander*, magna suo merito inter Jctos Theologosque nomina, in animadversionibus ad præsentem Grotii locum, Grotii illam sententiam apertè damnant ac refellunt. *Feldenus* etiam, etsi pœnam vindicativam i. e. qua læsus damnum acceptum reparat, privatis ubi cessant judicia permittat, medicinalem tamen qua vitia hominum corriguntur, solis illis qui cum imperio sunt vindicat. Eadem *Simonis* mens p. 570. de-

cla-

clarata. *Thomasius* etiam noſter, cujus ſancta nobis merito autori-
tas eſt, tum in tabellis *Grotianis* nondum editis, tum in *Differt. de*
jure belli Majeſtatico §. 28. ac alibi tradit, inter pares, ſive civitates
cum civitatibus, ſive extra Rempublicam privati cum privatis com-
parentur, pœnæ propriè dictæ non eſſe locum. Et *Pufendorfius* l. 8. de
J. N. & G. c. 3. §. 7. fixū ſibi federe fatetur, poteſtatem pœnas ſumen-
di eſſe partem imperii, adeoque neminem poſſe pœnam propriè di-
ctam alteri imponere, niſi qui in ipſum imperium habet. Quin &
Hobbeſius, qui hominibus civili ſocietate non conjunctis, quem ſta-
tum naturalem vocat, jus quodlibet agendi quod ad conſervatio-
nem ſui neceſſarium judicent, indulget, fatetur tamen, neque inju-
rias, neque ultiones privatorum hominum propriè vocari poſſe,
pœnas, quia non procedunt ab auctoritate civitatis: *Leviath. c. 28.*
Denique quotquot civitates conſtitutas tradunt, ut pœnæ metu in
officio ſinguli continerentur, publicâq; auctoritate animadvertere-
tur in maleficos, fateri neceſſe habent, extra civitatem pœnarum
propriè dictarum uſum non eſſe.

§. XVI.

Et primū quidem, quod *Grotius* ait, licere homini judicio
pollenti paribusque non laboranti vitiis, animadvertere in fontes,
nec ſubjectos ſibi, nec directè in ſe ſuosque injurios, & ratione, & ex
ipſo *Grotio*, & ex incommodis quæ hypotheſin illam non poſſunt
non conſequi, refelli poteſt. Si rectè rem putemus, ejus propriè eſt exi-
gere pœnam, qui leges tulit in quarum violatione peccatum eſt. Unde
quemadmodum par parem latis legibus ad obedientiam obligare non
poteſt, ita nec ad pœnam; & ſicut non niſi ſuperior inferiori leges præ-
ſcribit, ita non niſi qui cum imperio eſt, pœnam propriè loquendo poteſt
ſumere. Quod non omnino diffitetur *Grotius* ipſe, quando II. 24. 2.
ait, *quisquis alium punire vult, rectoris quodammodo perſonam ſuſcipit.*
Deinde, ut idem *Grotius* II. 1. 1. diſertè fatetur, *cauſa juſta belli ſuſcipi-*
endi nulla eſſe alia poteſt niſi injuria. Unde ſicut juſtè bellum ei non po-
teſt inferri, à quo lacesſitus injuriâ non fueris, etſi fortasſe in DEUM, in
ſe, in alios peccaverit: ita nec puniri is à te juſtè poteſt, cum in eo quem
animo concepimus ſtatu pœna exigi ſine bello non poſſit. At, ais, me-
tuendum ne qui injuriâ alios effecerunt, nobis quoque faciant injuriam;
à qua tutos nos vindicta præſtat, ſi quod timemus, occupemus facinus.

Verùm repono, quæ à Grotio ipso II. 1. 5. probè traduntur, periculum propulsari per vim non debere, nisi præsens sit, nec opinabile sed certum. Meritò Ciceronis illud Grotius commendat: *quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur.* Nec minùs insignis Grotii ipsius II. 1. 17. sententia: *adversus incertos metus à divini providentiâ, & ab innoxia cautione, non à vi præsidium petendum est.* Denique quanta incommoda Grotii hypothese consequantur, vide. Posita enim promiscuâ illâ fontes puniendi licentiâ, quæ impedietur, ne prætextu vitiorum corrigendorum infirmi à robustioribus opprimantur, cum ne in foro quidem ita circumscribi judicis potestas possit, quin innoxii aliquando vis fiat? Illi ipsi Heroës, Hercules, Theseus, aliique, quòd orbem ut sceleratis eum purgarent peragrarunt, tantopere celebrati, magni aliis latrones videri queant. At, inquis, exigere pœnas tantùm illi debent, qui judicio valent, paribusque non laborant vitiis. Quotusquisque verò futurus est, qui non sibi integer vitæ scelerisque purus videatur, ac alienorum vitiorum severus censor ad sua cacutiat, sibi in omnes animadvertendi jus vindicaturus, nemini in se concessurus? Vicissim è sceleratissimis quotusquisque futurus est, qui puniri se ab eo cui non est subjectus, æquâ mente patitur, & vim non relaturus sit pœnas exigenti, licet mortalium innocentissimo? Unde apparet, Grotianâ admisâ hypothese, hominum civili societate non nexorum haud alium futurum statum, quàm bellum omnium contra omnes.

§. XVII.

Majore fortasse veri specie dicitur, injuriam acceptam propriis viribus ulcisci, ubi judicia nulla sunt, integrum cuivis esse. Neque difitemur, in statu tali cuique licere, non se tantùm ac sua defendere, sed & curare, ut à lædente damnum sarciat, ac securitati suæ caveatur in posterum. Verùm cum & propulsata vis est, & reparatum damnum, & de futuro metus certus non superest, læso pœnam præterea à lædente exigendi jus nullum concesserim. Confer §. 3. Eadem enim rationes, ob quas Grotius jus pœnæ exigendæ singulis ademptum ad iudices constitutis Rebus publicis transisse asserit, mihi evincere videntur, nunquam jus tale concessum à naturâ privatis fuisse. Si enim *in rebus nostris & nostrorum affectu corrumpimur*, ut II. 20. 8. Grotius fatetur, *ac pauci contenti sunt tantundem reponere vindictæ, quantum acceperunt injuriæ*, ut II. 1. 18.

II. 1. 8. ait, metuendumq; adeo, *ne quis doloris sui sensu aut modum excedat, aut certè animum inficiat*, ut II. 20. 40. loquitur: *Si*, ut II. 20. 9. ait, *cùm & facti inquisitio saepe magnam diligentiam, & pœna aestimatio multum prudentia & æquitatis desideret, dum quisq; de se nimium præsumit, aliis non cedentibus, rixæ oriuntur*: futurum certè est, concessio læsis ipsis pœnæ exigendæ jure, ut & majores quàm pro delicto pœnæ peccantibus infligantur, & rixis bellisque perpetuis humana involvatur societas. Ergo privatis jus naturæ puniendi potestatem non concedit, quod non iniquitati & disidiis, sed paci potius favet ac justitiæ.

§. XIX.

Reliquum est, ut quæ pro confirmandâ illustrandâque sententiâ à Grotio adducuntur, paucis perstringamus. Excerptam verò præcipua, quæ hinc inde sparsa ad rem præsentem facere videbuntur. Primo verò loco monet, inter ea quæ natura ipsa dicitur esse non iniqua, & hoc esse, ut qui malè fecit malum ferat, ac nocentes puniantur. Unde videtur consequi, cum ratio dicitur maleficum posse puniri, non autem quis punire debeat, naturâ punitionem cuius licitam esse paribus vitiis non iniquato. Verùm ea consequentia non procedit. Etsi enim non iniquum est, ut qui peccavit pœnam luat; non ideò tamen alteri jus est eam exigendi. Nam quod rectè maleficus puniatur, ex delicto ejus est: ut tu rectè punias, imperium requiritur. Perinde ut non valet: non iniquum est, ut homo stupidus & qui seipsum regere nequit, serviat; Ergo prudenti jus est servitutem illi etiam invito imponendi. At, ais, per punitionem illius ipsius qui deliquit emendatio quæritur. Concedo illud, sed rehero verba Grotii II. 22. 12. *non si quod alicui est utile, id statim mihi licet ei per vim imponere. Nam his qui rationis habent usum, libera esse debet utilium & inutilium electio, nisi alteri ius quoddam in eos quæsitum sit.*

XIX.

Succedunt testimonia ex antiquitate pro vindictæ privatæ licentiâ petita; Samsonis in Historiâ sacrâ, Ciceronis, Mithridatis apud Iustinum, Plataensium apud Thucydidem, Demosthenis, aliorumque plurium. Ea verò singula excutere, nec paginæ angustia patitur, & foret fortasse supervacaneum. Plerique de vindictâ publicâ loquuntur, aut certè de actu illo tantum, quo damni reparatio ac cautio de futurâ securitate quæritur, qui per similitudinem quandam & abusivam vindictæ, ultio, pœna nonnullis vocatur. Samsonis verba maximè favere doctrinæ Grotianæ videntur, qui insontem se testabatur fore, si Palæstinos qui se malo affecerant, malo vicissim afficeret, & post perfectam ultionem eadem se tuebatur ratione, dicens se ipsis fecisse, quod ipsi sibi fecissent priores. Verùm præterquam quod Samson non privatus fuit, sed iudex populi Israëliti-

tici

litici ac vindex à DEO suscitatus; quæ à Samfone divino Numine afflato peracta sunt, in exemplum trahi nondebent. Quòd si ex citatis auctoribus quidam vindictam etiam privatam videantur probare, iis Senecæ, Maximi Tyrii, Musonii, ac Dionis apud Plutarchum loca opponi velim Grotio ipsi II. 20. 5. notata.

XX.

Porro ad vestigia & reliquias pristini illius ac promiscui in poenâ à fontibus sumenda juris passim obvias Grotius provocat. Ita Hebræorum moribus Hebræus à DEO & DEI lege deficiens, aut ducem se ad falsos cultus præbens, illico à quovis homine poterat interfici, quod iudicium zeli vocant. Quantum in eadem Republicâ in vindicandâ eadē propinquis occisi indultum fuerit, publicè constat. Videatur Seldeni Liber 4. de I. N. & G. Bannitos hodieque impunè quivis occidit. Et in piratas iustum cuique etiam ad mortem usque apud populos quosdam mansit. Verùm hæc similiaque exempla non probant, relictas privatis in exigendâ poenâ libertatis pristinae quæ nulla fuit unquam, reliquias fuisse; sed tantùm Magistratum nonnunquam in exequendâ poenâ singulorum ministerio uti. Clarè Grotius ipse II. 20. 17. Si lex, quæ interfectionem quorundam hominum permittit, periculum respicit futuri mali ex dilatione poenæ, censenda est jus ac potestatem publicam privato concedere, ita ut jam privatus non sit. In piratas, quia omnium hostes sunt, quilibet quoque homo miles est. Et jus vitæ ac necis, quod patrifamilias in liberos servosque alicubi conceditur, velut particula imperii publici spectatur, in subjectos auctoritate publicâ exercendi.

XXI.

Denique quòd puniendi potestas sine Iurisdictione & imperio esse possit, in quocumque controversiæ vertitur, ex eo Grotius II. 20. 40. probat, quia aliàs sequeretur, gentium confirmet. Verùm hic pro fundamento ponitur, quod æquè dabitur est. Præter bellum enim defensivum, quo & affecurat orium reduci potest, & reparatorium, vindictivum nullum seu punitivum agnoscimus. Quòd si vel maximè bellum ejusmodi effectus juris gentium habeat, non eò magis peccato vacat, & Politicè, non Ethicè iustum censetur.

Sunt quibus esse potest nil toto svavius orbe,
Quàm tristes Martis tristia castra sequi.
Svavius at nihil esse potest Tibi, svavis Amice,
Quàm svavis Sophiæ svavia castra sequi.
Sunt, quibus est Vindicta bonum iucundius ipsâ
Virâ: at iucundum cernimus esse Tibi,
Ut monstrare queas, quid amabilis Ethica mandet
Circa Vindictam; Tale bonumque probas.
Tale bonum Tecum Nos ipsi rite probamus,
Hisque Tuis ausis candida vota damus.

Pereximio atque Eruditissimo Dn. Autori,
Mag. Candid. ita applaudunt

POPULARES.

F I N I S.


00 A 6344


3
ULB Halle
002 847 086


Retro ✓

VDA







16.

EXERCITATIO MORALIS
AD HUG. GROTII LIB. II. DE JURE BEL.
AC PAC. CAP. XX, §. 3. & sqq.

DE
VINDICTÆ
PRIVATÆ LICENTIA.

Quam
DEO FORTUNANTE,
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ consensu
IN ACADEMIA LIPSIENSI,
PRÆSIDE

VIRO
ADMODUM REVERENDO atq; AMPLISSIMO
DN. OTTONE MËNCKENIO,
SS. Theol. Licentiato, Moralium Prof. P.
& Collegii Ducalis Collegiato,
DN. PATRONO & PRÆCEPTORE
*omni bonoris & observantia cultu æviternum
prosequendo,*

Publicè ventilandam proponit
ANTON GÜNTHER FASELIUS,
Jeverâ Frisus Oriental.
Magisterii Candidat. ac S.S. Theol. Studios.

AUTOR ET RESPONDENS.
AD DIEM XXIV. JANUARIJ, ANNO M DC LXXVII.

L I P S I Æ, Typis KÖLERIANIS.

17.

